



**Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VII. Qui prohibeantur ferre testimonium in certis causis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tamen exceptis, & in quibus casibus veritas aliter haberi non potest, aut si contra alios Judæos aut infideles testentur, etiam si ab orthodoxo producantur, contra eos &c. admissi possunt, non sunt tamen omni exceptione majores. Catholici vero testimonium contra Judæum aut infidelen nec in causis civilibus nec in criminalibus rejicitur, ita ut nec per privilegia à Principibus concessa Judæi tueri se possint, quod minus per testes Christianos convinci possint *juxta Clement. i. b. t.* Cùm talia privilegia, ut ait Pontifex, Christiana Religioni probrosa sint, & adversa; & æqualitas in judiciis servanda Actorem & Reum concernat, non autem testes.

### §. VII.

*Qui prohibeantur ferre testimonium in certis causis?*

Primo Mulier potest esse testis in causis Civilibus, tam in foro Civili quam Canonico, etiam in causis matrimonialibus, que inter valde arduas censentur, ut colligitur ex e. *Super eo 13. b. s.* ita ut sit integræ fidei, & semiplenam probationem faciat, si una tantum taliter testetur. (ita tamen ut virorum testimonia mulierum testimonij praefrantur) nisi causa sit feudalis, in qua mulieris testimonium non admittitur, prout expressè habetur in e. *Vnico.* *Qui testes sunt necessarij ad novam iustificationem Lib. 2. feud. Tit. 32.* (Cùm in his causis feudalibus summæ opinionis testes requirantur) nisi fæmina illustris esset, que & ipsa sub se feudum & vasallos haberet. Et quoniam de jure Civili & Ecclesiastico mulier etiam in criminalibus testis

esse possit, nisi sit causa valde gravis ardua, vel ubi agitur ad pœnam mortis, vel mutilationis, quibus casibus solen integræ fidei non erit testis mulier omnibus exceptione major, de jure time Canonico in causis criminalibus si criminaliter ad pœnam publicam agatur, & testandum mulier non admittitur, ex *Mulierem. 17. juncta Glossa V. Novi* causa 33. q. 5. &c. Ob naturalem in mulierum murabilitatem, & fragilitatem, ac inconstantiam. Nisi de minime civilitate tantum agatur per modum exceptionis c. *Tam Literis 33. post Glossam V. Feminas b. t.* aut ad procedendum ex officio per modum denunciacionis aut inquisitionis, c. *Quoniam 3. b.* aut si criminaliter agatur, si tamen de criminis excepto, aut non possit aliter haberi veritas, vel testetur tantum ad innocentiam Rei ostendandam &c.

Secundo. Puberes seu Minorum in causis civilibus testes esse possunt, interquam si illæ arduæ sint, non tamen in criminalibus, nisi agatur de crimine corporis, aut veritas aliunde haberi non possit, aut procedatur tantum per inquisitionem; Neque tamen in talibus casibus admissi plenam probationem faciant, ob præsumptionem judicij cum latis maturi.

Tertio. Personæ pauperes, & vel conditionis admittuntur quidem, a teris paribus, in testes in causis civilibus minus arduis, cum testis idoneus sit tam ex facultatibus, quam ex moribus & virtute probitate desumatur, non tamen in causis arduis, & criminalibus ad cavendum periculum falsæ depositionis, quam suspicantur iura per promissio-

nem, aut datam pecuniam facile à pauperi-  
tali, aut vilis conditionis homine ob-  
tineri posse; & hinc in quoquaque casu  
admititur talis, omni tamen exceptio-  
ne major non est, quamvis per torturam  
purgata sit falsa depositionis, & lucri ca-  
pundi causa suspicio; si tamen arbitrio  
Judicis, aut partis omnis suspicio frau-  
dis etiam penes pauperem abesset, aut  
fides pauperis per alios plures testes ido-  
neos juvaretur, posset etiam illius testi-  
monium ut integræ fidei admitti, cùm  
nec sola paupertas, nec sola vilis condi-  
tio personæ virtutis illi verti debeat.

## §. VIII.

An, & quæ ratione prohibeatur  
qui testimonium ferre in pro-  
pria causa.

**N**eminem in propria causa testem  
idoneum esse, communis & gene-  
ralis regula docet, ob suspicionem scil.  
minus sinceræ depositionis in propria  
causa propriam utilitatem spectante; &  
ob hanc causam neque ille testis idoneus  
videatur, qui similem causam in judicio  
agit, propter quam in testem hic & nunc  
produxit, nisi aut protestatio prævia  
de nullo proprio commodo querendo  
in tali testificatione eum idoneum fa-  
ciat; vel agatur tantum de modico emo-  
lumento, vel non possit aliter haberi ve-  
ritas, vel testetur talis tantum in causa  
sue communis.

Sed nec in illa causa potest quis esse  
testis, quam ad judicium ut Actor vel  
accusator detulit, ne probando talera su-  
am actionem, aut accusationem in pro-  
pria causa testis esse censeatur; & quam-  
vis si processit per viam denuntiationis

charitativè, non tam ad puniendum,  
quam emendandum peccatum, poscit in  
illa causa testis esse juxta c. In omni 4. b. t.  
Si Judex tamen judicialiter procedat, ad  
punientum denuntiatum, ad deponen-  
dum, v.g. ab officio aut beneficio, tunc  
in criminibus gravibus, alisque magni  
præjudicij causis non potest esse testis  
denuntiator, quia in talibus casibus non  
est recedendum à communi iuriis regula,  
quod idem Accusator seu Actor & testis  
esse non possit, nisi qui publicâ auditio-  
tate ad denuntianda crimina ex officio  
suo sit deputatus (cui tamen major fides  
haberi debet, quod alii cuiuscumque de-  
nuntiatori) aut agatur de peccato evitan-  
do, neque possint alii testes haberi.

Judex autem in ea causa, qua cotam  
ipso adhuc pender, non potest in testem  
producere, ob nimiam pro causa tali in su-  
um honorem decidenda affectione; &  
si agatur apud alium Iudicem appellatio-  
nis v. g. de justitia, vel injustitia latæ à  
priore Iudice sententie, non potest pro-  
duci in testem, ne in causa sua ob affe-  
ctionem ad sententiam à se latam sit te-  
stis quodammodo, quamvis in priore ca-  
su, si necessitas sit, ne pereat jus partis,  
ob defectum probationum, peti possit à  
parte, qua illius testimonio indiget, ut  
alius ipsi Iudex substituatur, & sic ipse in  
tali casu testari possit, prout colligitur  
etiam ex c. Dilecto 40. b. t. quin etiam  
exc. Cum Dilocius 32. de electi, collig-  
itur, quod testis esse posuit Iudex in illis,  
qua alii, quam Iudicibus cognita esse  
non possunt, cùm in aliis etiam casibus  
testes suspecti admittantur, ob necessita-  
tem, seu inopiam probationis; & ex  
Glossa communiter recepta in cit. c. Dile-

R. 1. 2

cto